



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1657**

§. 98. Et amputavit Auriculam eius dextram. v. 50.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

ciplina scholæ tuæ: idcirco obsecro te, vt post tot proelia, vexationes, certamina, aliorū etiam me confirmes, vt vincens adhæream tibi Deus meus.

§. 98. *Et amputauit auriculam eius dextram. v. 50.*

Petrus, non expectato responso ad verba sua, quibus interrogabat, an percuteret percussit seruum Pontificis Caiphæ, qui forte primus, vel certe cæteris violentius in Christum insurgebat, & abscidit auriculam ei dexteram; lethale absque dubio vulnus capiti eius infixisset, nisi ictus declinasset per sui dispositionem & bonitatem qui solet etiam indignis & ingratis benefacere, id vero Petrus zelo suo solito, & seruore fecit, etsi non secundum scientiam eo quod iniussus percuteret, contra Domini voluntatem, & quidem Sacerdos jam jam consecratus. Quia autem turba illa tartarea, inuadens Iesum truci vultu, minacibus oculis, animo crudeli, unguibus leonis vndique illum cingebat, & sceleratas iniiciebant manus, continere se Petrus non poterat, præ indignatione, quia irrueret in Christi succusum & percuteret; Et licet ea, quæ hic passus est Christus non ita aperte ex verbis Euangelistarum perspiciantur; subtiliter tamen colligere & elicere ea possumus ex illis Euangelistæ verbis, vbi ait, *Fecerunt in eum omnia, quæcumque voluerunt*, Et quid æstimare possit, quænam canes illi rapidi in agnum innoxium, machinati sint, si fecere, quidquid illis placuit.

Spiritus charitatis tuæ Domine, vrsit, haud dubie Petrum cupientem præseruare te ab immundis: sed an illa charitas diuina fuerit, an humana, nescio discernere, quia valde reconditos habet recessus & cryptas cor humanum; Ego interim laudo Petrum defendentem Magistrum suum, etsi Tu magister, officium pietatis recusaris illo tibi tempore impendi, sed & stimulat me Petri exemplum, vt zelum habeam honoris tui, eumque quando fas est etiam viribus corporeis demonstrarem.

§. 99. *Respondens autem Iesus ait eis; finite vsque huc. v. 51.*

Simon Petrus, qui animosiore constantia Domino adhærebat, & contra violentorum impetus, seruore sanctæ charitatis exarserat, in seruum Principis sacerdotum, vsus est gladio, & aurem viri ferocius agentis abscidit, sed hunc zelantis Apostoli pium motum progredi Dominus ultra non patiebatur, recondi gladium iubet, nec sinere vult, sese illa vice aduersus impios manu ferroque defendi, quia contra Sacramentum redemptionis nostræ erat, si, qui mori pro omnibus venerat, capi noller. Sed quid est illud, *vsque huc*? vti que non aliud, quam quod respondente Iesu ne percuterent, & ictu simul contingente, Dominus videns auriculam ab-

*M*

*scindi,*